

1269, maig, 17

*Bernat Gener, de Vilaür, es fa home propi de la cambreria de Sant Daniel per raó del mas, per 310 sous que rep de l'esmentat monestir.*

ASD núm. 202, perg. orig., 225 x 275 mm, carta partida.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus Ianuarii, filius Bernardi Ianuarii parochie Sancti Stephani de Uilauro, gratus et uoluntarius ac nemine me cogente euenio et dono meipsum in perpetuum per proprium hominem solidum et naturalem uobis domine Berengarie de Uillaromano, camerarie monasterii Sancti Danielis et officio dicte camere cum omni prole que de me descenderit et cum omnibus bonis meis presentibus et futuris, promittens uobis stipulanti bona fide quod ego et mei erimus uobis et uestris successoribus camerariis fideles et legales tamquam nostre domine naturali et alium dominum non reclamabimus nisi uos et uestras successores camerarias et officium dicte camere tantum. Et ad maiorem firmitatem omnium premissorum in presenti facio uobis homagiuní et in presenti, cum testimonio huius publici instrumenti perpetuo ualituri dono uobis et officio dicte camere in perpetuum directum dominium dicti mansi sicuti melius illud emi a Bernarda de Aquauuia qui erat dominus dicti mansi cum omnibus iuribus et dominiis mihi uenditis in dicto manso, et accipio per uos et per officium dicte camere in perpetuum totum dictum mansum, uidelicet pagesiam et omnes possessiones eiusdem mansi ubicumque sint cum omnibus suis pertinenciis et tenedonibus in emphiteosim, preter duas terras que ibi tenentur per alios dominos, scilicet terram de Figerolis et terram de Costa, promittens uobis quod ego et mei successores prestabimus uobis et uestris successoribus camerariis pro censu et agrariis perpetuo duodecim solidos barchinonenses monete de temo, soluendos annuatim in festo Natalis Domini, cum expletis et sine expletis qui non essent in terris dicti mansi. Et concedo uobis cum presentis testimonio instrumenti et me et meos et omnia mea bona presentia et futura uobis et officio dicte camere promito quod uos et uestre successores camerarie habeatis in personis dicti mansi presentibus et futuris et in possessionibus eiusdem perpetuo plenum ius et dominium et seruitutem terciorum, laudismiorum, redempcionum hominum et feminarum, intratarum, exitarum, sponsalicionum firmandorum, intestiarum, exorchiarum, firmi, lnciarum et omnium aliorum dominiorum realium et personalium sicuti habetis uos et monasterium Sancti Danielis in aliis mansis quos habetis in parochia de Uilauro, et hoc fiat ad uestrum bonum intellectum, promitens per me et per omnes heredes et successores meos predicta omnia semper rata habere et inuiolabiliter obseruare et numquam in aliquo contrauenire per me uel per aliquam personam interpositam, iure aliquo siue causa. Et propter hoc accipio a uobis de bonis uestris ad utilitatem meam trescentos decem solidos barchinonenses monete de terno, super quorum recepcione renuncio non numerate et non recepte pecunie exceptioni et omni iuri. et rationi contra predicta in aliquo repugnantibus.

Quod est actum .xvi. kalendas iunii anno Domini millesimo .ec. sexsagesimo nono.

Sig+num Bernardi Ianuarii, filii Bernardi Ianuarii prenominati, qui hec omnia firmo et concedo. Testes huius rei sunt Arnallus clericus de Uilauro, Bernardus Durandi, filius Berengarii Durandi et Bernardus Ferrarii de Uilauro.

Sig(s. man. )num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 428-430